Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36569
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

die adversitate divisi sunt in bonorum gravius nece glomerantur.
Qui ergo iniquos pace sociat iniquitati vires administrat,
quia bonos deterius deprimunt quos et unanimiter persequuntur.
Unde predicator egregius gravi pharyseorum sadduceorumque perse-
cutione deprehensus, inter semetipsos dividere studuit quos
contra se unitos graviter vidit, cum clamavit dicens: Viri
fratres ego pharyseus sum filius pharyseorum; de spe et resurrec-
tione mortuorum ego iudicor. Dumque sadducei spem resur-
rectionemque mortuorum esse denegarent, quam pharysei iuxta sacri
eloquii precepta crederent, facta in persequentium unanimi-
tate dissensio est, et divisa turba illesus paulus exiit, quem hunc
unita prius immaniter pressit. Admonendi itaque sunt qui faciende
pacis studiis occupantur, ut pravorum mentibus prius amorem de-
beant interne pacis infundere, quatenus eis post modum
valeat exterior pax prodesse, ut dum eorum cor in illius cogni-
tione suspenditur, nequaquam ad nequitiam ex huius perceptione
rapiatur; dumque superna provident, terrena nullo modo ad usum
sue deteriorationis inclinent. Cum vero perversi quique tales sunt
ut nocere bonis nequeant et si concupiscunt, inter hos nimi-
rum debet terrena pax construi, et priusquam ab eis valeat superna
cognosci, ut hi scilicet quos contra dilectionem dei malitia
sue impietatis exasperat, saltim proximi amore mansues-
cant, et quasi e vicino ad meliora transeant, ut ad illam que a se
longe est pacem conditoris ascendant. xxv.

Aliter admonendi sunt qui sacre legis verba non recte in-
telligunt, atque aliter qui recte quidem intelligunt, sed
hec humiliter non loquuntur. Admonendi enim sunt
qui sacre legis verba non recte intelligunt, ut perpendant
quia saluberrimum vini potum in venenum sibi poculum ver-
tunt, ac per medicinale ferrum vulnere mortali se feriunt,
dum per hoc in se sana perimunt, per quod salubriter abscidere